BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Statuta legenda in Admiſsione Inceptorum in Theologia, ad quorum Obſervationem ſinguli tenentur.

THeologiæ Baccalaureus Theologicæ lectionis ſedulus e[illegible]uditor: in quæſtionibus Theologicis bis opponet, ſemel reſpondebit, ídque Doctori ſi commodè fieri poterit: Latinè ſemel, Anglicè ſemel concionabitur in Academiæ Templo, & ſemel ad Crucem vel in Templo D. Pauli, infra annum à gradu ſuſcepto, ſi legitimè vocatus fuerit, & juſtâ causâ non impediatur. Quinquennium poſt Baccalaureatum ſuſceptum, in Theologia progreſſus, poterit vocari in Ordinem Doctoris, & poſt ſolennem inceptionem ſemel infra annum quæſtionem ipſe ſibi proponere tenebitur in publicis Scholis, cujus ambigua & dubitationes in utramque partem enucleabit, definiet & determinabit. Si quis cupiens cooptari in Ordinem Doctorum Theologiæ, non reſponderit nec oppoſuerit ſecundùm ordinem præſcriptum, is nihilominus poterit eſſe Doctor, modò quinquennium compleverit poſt gradum Baccalaureatûs, ſi ſemel Doctori reſponderit, & unam concionem ad Clerum habuerit in Academiæ Templo ante ejus Admiſſionem, & alteram ad Crucem vel in Templo D. Pauli infra annum ſequentem.

Nemo per ſe vel per interpoſitam perſonam pro voce danda aut non danda in electione aliqua pecuniam ullam, vel rem ullam aut dabit aut accipiet, nec promiſſionem, ſeu pactum ut quis promoveatur, aut officium vel beneficium aliquod conſequatur, pro hujuſmodi voce danda vel non danda faciet, accipiétve unquam: quòd ſi quiſquam aliquem in his culpabilem noverit, Cancellario ſeu Procuratoribus, aut eorum vices gerentibus quàm poteſt celerrimè revelabit.

Nemo in aliqua Electione vocem dare præſumat, niſi & ſuum & illius cui vocem dare voluerit, prænomen & cognomen propriâ manu inſcribat, nec ullo pacto ſuum votum compromittere attentet.

ut Statuta ac hujus Universitatis probatas consuetudines pro viribus observent, utque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos qui sic pacem perturbare noverint ad Cancellarium seu ejus vices Gerentem quamprimum deferant: quod denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant, orneńtque.

Quilibet Graduatus dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, Gradui suo competentem, quo inceptionibus illius Facultatis cujus est Scholaris interesse poterit.

Postremò, Statutis nostris cautum est, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices Gerenti juraverit, séque sua privilegia renunciaturum, in quantum privilegiis & statutis Universitatis contrariantur: Salvâ tamen semper compositione inter Universitatem & Collegium Regale factâ.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti & observabis, nisi aliter per gratiam ab Academia concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Ex Decret. Academ. Jun. 1684.

Jurabis quod in Bibliothecam publicam admissus nihil quod ad ipsam pertinuerit sciens volens corrumpes, aut imminues, nullum librum permutabis, auferésve, aut ipse per te, aut per alium quemvis, nisi eo modo, iisque conditionibus, quæ per Universitatis decreta requiruntur: Quódque sis jure isto tuo sincerè, & bona fide usurus, atque omnino ita ut (quantum in Te est) nihil inde accrescat Bibliothecæ damni, Ita te Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.